

pores, qui meatus cerebri obstruunt, quo minus spiritus animales in partes inferiores fluxum liberum habere possint, in ipsâ cerebri substantiâ generantur. Per consensum afficitur, quando vapores obstruentes, non in cerebro sed in partibus inferioribus, utpote hypochondriis, orificio ventriculi superiori, vel aliquo alio membro generantur, ad caput ascendunt, & obstructionem pariunt. *Fernelius* dicit partem affectam non esse cerebrum, sed thoracem, quia nimirum vapores à crapulâ & cruditatibus exorti diaphragma & pulmones comprimunt, & sic respirationem lædunt. Verum quia incubus sæpè fit nullâ præeunte crapulâ aut cruditate, hæ causæ esse, non possunt. Deinde licet dentur ejusmodi vapores, qui diaphragma & pulmones comprimant, tamen non sufficiunt, ut procreent Incubum, nisi simul obstruantur meatus cerebri, qui influxum spirituum animalium ad partes inferiores denegent. Manet igitur pars affecta proxima cerebrum.

V. *Causa immediata proxima* est meatuum posteriorum cerebri obstructio. Spiritus enim animales, ob impedimentum in viis hærens, liberè fluere non possunt, torpescunt, & facultas motrix, ob defectum spirituum, thoraci adimitur, unde gravitas & difficultas respirandi sentitur. Dicunt hic in hoc affectu obstrui posteriores cerebri ventriculos, hoc probant, quia, inquiunt, solum facultas motrix læditur, salvâ manente facultate imaginativâ & sic facultatibus animalibus in ventriculis certas tribuunt sedes nimirum facultati motrici, posteriores, imaginativæ verò, anteriores ventriculos cerebri. Verùm quia alium ventriculorum agnoscimus usum, & cerebri totâ substantiâ pro varietate temperamenti & medii agit, hanc sententiam rejicimus, & illam amplectimur, quæ magis cum natura convenit, nimirum posteriores solum meatus cerebri, per quos spiritus animales ad membra inferiora feruntur, obstrui; Posteriores meatus obstrui patet, quia supini cuban-

ban-